



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

B. Henricvs Conf. 13. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

amori suo vacans, sub dio cibi sui<sup>que</sup> aliquando in trigesimum diem, sepius in septimum oblita, ab inferno rivali in putum præceps acta, ferventia perfusa, aliaque perpesta, cum satis jam Sponso se probasset, ad nuptias est evocata. Illas splendidissimè adornari vidit in cælo, quæ Asceterio Magistra præerat, coquæ abductam EUPHRASIAM à Sponsi MATRE corollâ nuptiali, & dote in singulas virtutes donari. Quis jam dubitet pulchram EUPHRASIAM fuisse, quam tanto studio matrum longè pulcherrima multò pulcherrimo filio conciliabat? Ex Surio.

Vide quibus brachiis vicaria charitatis redamādus & amplectendus sit, qui tanti estimavit, imo qui tanti te fecit: De latere enim suo te reformat, quādo propter te obdormivit in Cruce, & somnū mortis exceptit. S. Bern. ser. 2. de Mut. aquæ in Vin.

## B. HENRICVS CONF. 13. Martij.

**N**on ablusit indoles HENRICI à stirpe suâ. Regius puer mammæ & matris, & mundi lallare generosus recusavit, & ad magni Francisci ubera, vulnera, animum appulit. Interea parente mortuo Daniæ Rege, viduum regni sceptrum & corona caput HENRICI & manum ipsa ambiebat, ingerebant hæc regni proceres, sponsa invitabat, & denique mater impellebat. Per tot tamen obstacula evadit HENRICVS in solitudines, siusque ipse Rex sibi imperat. Sed honor, quo nemo alias fugitivos citius prehendit. HENRICVM quoque in suis latibris invenit, gemmeisque vinculis ligatum cum publicâ regni letitiâ ad solium reducit. At mater, (quis credat?) illa mater, quæ nuper amore filium deporribat, in novercam ecce abit, & , sive quod impos-

imperandi dulcedine capta , socium regni nec filium vellet sive quod filii vultum jam minimè HENRICVS præ se ferret ( austera vivendi ratio deformarat) in rogam hunc conjicit. Induit tamen, quam mater exuit, ignis pietatem, & incolumentem reddidit, pulchrius inter flamas quam purpuram splendentem, Minus verò jam fidendum regno videns, in Italiā religionis causā contendit, sed mors aliō ex itinere abduxit. In cælum ubi venit, hoc denique ei regnum placuit. Ex Ferrar.

*Descendamus per viam humilitatis, ponaturq; nobis primus gradus ejus, id est primus prefectus, Nolle dominari: secundus, Velle subjici: Tertius, in ipsa subjectione quasi libet contumelias & injurias illatas equa nimiter Pati. S. Bern. in sc̄t.*

## S. P E T R V S A B B A S . 14. Martij.

**Q**uam Alites beati familiares PETRO, & PETRVS vicissim illis fuerit, ex iis quæ narrabimus, perspicies. Tyro in religiosâ Claræ Vallis disciplinâ cum esset, obdormiscentis inter preces Matutinas latus vellicavit Ales unus aliquis ex illis, de quibus diximus, gratissimus PETRO monitor. Alias cum avocante capitî dolore è sociis abitum è templo pararet, illa repente verba à Cæli choraulis cani audivit: *Laudans invocabo D E V M*, atque his voculis delinitus, facile dolorum oblitus est, perrexitque etiam ipse cœptas preces decantate, et si inter olores illos non male anserem se putaret. Illud amoenissimum spectaculum oculis PETRI accidit, videre, cum messis tempore laboricum suis intentus esset, Virginum Reginam MARIAM geminâ alterâ Mariâ ( è Solymis altera, altera ex Ægypto erat) per segetes ambulare, so- ciisque: